interfecto. simul interficietur cum eo. sanguis eorum sit super
eos. Qui acceperit sororem suam filiam patris sui. vel filiam
matris sue. et viderit turpitudinem eius. et illa conspexerit
fratris sui ignominiam. nefariam rem operati sunt. occidentur
in conspectu populi. eo quod turpitudinem suam mutuo re-
velaverint. et portabunt iniquitatem suam. Qui coierit cum
muliere in fluxu menstruo. et revelaverit turpitudinem
eius. ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui. interficientur
ambo. de medio populi sui. Turpitudinem matertere et
amite tue non discooperies. Qui hoc fecerit. ignominiam
carnis sue nudabit. portabunt ambo iniquitatem suam.
Qui coierit cum uxore patrui. vel avunculi sui. et revela-
verit ignominiam cognationis sue. portabunt ambo peccatum
suum. absque liberis morientur. Qui duxerit uxorem fratris sui.
rem facit illicitam. turpitudinem fratris sui revelavit.
absque filiis erunt. Custodite leges meas atque iudicia. et fa-
cite ea. ne et vos evomat terra quam intraturi estis et
habitaturi. Nolite ambulare in legitimis nationum.
quas ego expulsurus sum ante vos. Omnia enim hec fecerunt.
et abhominatus sum eas. Vobis autem loquor. Possidete terram
eorum quam dabo vobis in hereditatem. terram fluentem lacte
et melle. Ego dominus deus vester qui separavi vos a ceteris
populis. Separate ergo et vos iumentum mundum ab inmundo.
et avem mundam ab inmunda. Ne polluatis animas vestras
in pecore. et in avibus. et in cunctis que moventur in ter-
ra. et que vobis ostendi esse polluta. Eritis sancti mihi
quia sanctus sum ego dominus. et separavi vos a ceteris populis ut
essetis mei. Vir sive mulier in quibus phitonicus vel
divinationis fuerit spiritus. morte moriantur. lapidibus
obruent eos. sanguis eorum sit super eos. .xxi.

XXI

Dixit quoque dominus ad moysen. Loquere ad sacerdotes filios
aaron. et dices eis. Ne contaminetur sacerdos in mortibus
civium suorum. nisi tantum in consanguineis ac propinquis.
id est super matre et patre. et filio. ac filia. fratre
quoque. et sorore virgine que non est nupta viro. Sed nec in
principe populi sui contaminabitur. Non radent caput nec
barbam. neque in carnibus suis facient incisuras. Sancti
erunt domino deo suo. et non pollUent nomen eius. Incensum
enim domini et panes dei sui offerunt. et ideo sancti erunt. Scor-
tum et vile prostibulum non ducent uxorem. nec eam que
repudiata est a marito. quia consecratus est deo suo. et pa-
nes propositionis offert. Sit ergo sanctus. quia et ego sanctus sum
dominus qui sanctifico vos. Sacerdotis filia si deprehensa fuerit
in stupro. et violaverit nomen patris sui. flammis exu-
retur. Pontifex id est sacerdos maximus inter fratres suos. super cuius
caput fusum est unctionis oleum. et cuius manus in sacer-
docio consecrate sunt. vestitusque est sanctis vestibus. Caput
suum non discooperiet. vestimenta non scindet. et ad omnem
mortuum non ingredietur omnino. Super patre quoque suo et
matre non contaminabitur. nec egredietur de sanctis. ne

polluat sanctuarium domini. quia oleum sancte unctionis dei sui
super eum est ego dominus. Virginem ducet uxorem. viduam
et repudiatam. et sordidam atque meretricem non accipiet.
sed puellam de populo suo. ne commisceat stirpem generis
sui. vulgo gentis sue. quia ego dominus qui sanctifico eum.
Locutusque est dominus ad moysen dicens. Loquere ad aaron.
homo de semine tuo per familias qui habuerit in
maculam. non offeret panes deo suo. Nec accedet
ad ministerium eius. Si cecus fuerit. si claudus. Si vel par-
vo vel grandi et torto naso. si fracto pede. si manu.
si gibbus. si lippus. si albuginem habens in oculo. si iugem
scabiem. si inpetiginem in corpore. vel herniosus. Omnis
qui habuerit maculam de semine aaron sacerdotis. non
accedet offerre hostias domino. nec panes deo suo. Ves-
cetur tamen panibus qui offeruntur in sanctuario. ita dumtaxat
ut intra velum non ingrediatur. nec accedat ad alta-
re. quia maculam habet. et contaminare non debet sanctuarium
meum. Ego dominus qui sanctifico eos. Locutus est ergo moises ad
aaron et filios eius. et ad omnem israhel cuncta que sibi fuerant imperata.

XXII

Locutus est dominus ad moysen dicens. Loquere .xxii.
ad aaron et filios eius. ut caveant ab his que consecrata
sunt filiorum israhel. et non contaminent nomen sanctificatorum mihi
que ipsi offerunt. ego dominus. Dic ad eos et ad posteros
eorum. Omnis homo qui accesserit de stirpe vestra ad ea
que consecrata sunt. et que obtulerunt filii israhel domino. in
quo est immundicia. peribit coram domino. ego sum dominus.
Homo de semine aaron qui fuerit leprosus aut pa-
ciens fluxum seminis. non vescetur de his que sanctificata
sunt michi donec sanetur. Qui tetigerit inmundum super
mortuo et ex quo egreditur semen quasi coitus. et qui tangit re-
ptile et quodlibet inmundum cuius tactus est sordidus. in-
mundus erit usque ad vesperum. et non vescetur ex his que
sanctificata sunt. Sed cum laverit carnem suam aqua. et oc-
cubuerit sol. tunc mundatus vescetur de sanctificatis. quia
cibus illius est. Morticinum et captum a bestia non come-
dent. nec polluentur in eis. Ego sum dominus. Custodient
precepta mea ut non subiaceant peccato. et moriantur in
sanctuario cum polluerint illud. ego dominus qui sanctifico eos. Omnis
alienigena non comedet de sanctificatis. Inquilinus
sacerdotis et mercennarius non vescentur ex eis. Quem autem
sacerdos emerit et qui vernaculus eius fuerit. hii comedent
ex eis. Si filia sacerdotis cuilibet ex populo nupta
fuerit. de his que sanctificata sunt et de primiciis non vescetur.
Sin autem vidua vel repudiata et absque liberis reversa
fuerit ad domum patris sui. sicut puella consueverat. aletur
cibis patris sui. Omnis alienigena comedendi ex eis
non habet potestatem. Qui comedit de sanctificatis per ig-
norantiam. addet quintam partem cum eo quod comedit et
dabit sacerdoti in sanctuarium. nec contaminabunt sanctifi-
cata filiorum israhel que offerunt domino. ne forte sustine-
ant

C 2

STADT BIBLIOTHEK CHEMNITZ http://digital.slub-dresden.de/ppn341421227/71